

9
DELICIARUM
EPISTOLICARUM
FESTIVALIUM

Exercitatio Nona,

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Rectore Gymnasii Hallensis

Respondente

HEINRICO ALBERTO

Lichtensteinensi Misnico


In

FESTO ANNUNTIATIONIS
MARIÆ

CID. DC. XLIV.

HALLIS-SAXONUM

Typis Christophori Salfeldi.





ANALYSIS
EPISTOLÆ
In
FESTUM ANNUNTIATIO-
NIS MARIE.

Esaia 7. v. 10. ad 16.

THESIS I.

Sulamitis 4. Reg: 4. 20, ut ipsi
nicus mortuus erat filius, Elisei
supplex orat auxilium, fibum ut
suscitet; Hic Giezi puerum mit
cum baculo, quò is eum tangat,
at non exiit. Venit Eliseus ipse, solus solise
applicat & membris membra coaptans calefa
cit mortuum, & revocat in vitam. Ita natu
ra humana in Adamo mortua cum tota postea
ritate expectat & desiderat ut resuscitetur:
Patriarcha, Prophete missi conantur, sed non
} 2 } pra-

prestant, & propterea frustantur. Ideoq; Deus ipse sollicitatur ab iisdem, dum clamant: Ps: 144, 5. Inclina Domine caelos tuos & descende! Rorate caeli desuper Es: 45, 8. Et ecce hic est dies boni nuntij 2. Reg: 7, 9. dum missus est angelus à Deo, ut verbum patris per aurem virginis in ventrem & mentem intraret, uti Bernhardus loquitur Serm: 2. in Festo Pentecostes.

2. Hujus facti vaticinium habetur in hodierna Epistola. In qua agitur de Messia nascituro, cujus habetur partim occasio: & est quoad Deum ejus voluntatis declaratio, per allocutionem v. 10. In quo praemittitur particula copulativa; Et ut ostendatur connexio: promiserat enim Jehova Regi & populo certam contra obsidentes hostes defensionem; cum verò fidem non haberent; ideoq; post quantumcunq; silentium, sequentia sunt subiecta. unde & Junius & Tremellius voculam copulandi vertunt per quamobrem: quia cum nudo verbo confirmaretur Rex, placuit DEO ad infidelitatem ejus evincendam, sequentia subijcere: Deus enim fidelis est, soletq; suas promissiones confirmare.

3. Et subjicitur causa tum externa efficiens intermedia, quòd perrexit per prophes

phetam Esaiam scilicet, uti Rabben Ezra sup-
plet & similia adducit ex 2. Paralip. 33, 10.
Et summa, nempe Jehova, qui solus potens
est, ne arbitretur quis se audire verbum homi-
nis aut alterius Domini.

4. Tum interna ut Materia seu obje-
ctum ad Achazum: qui fuit filius Jothan, fi-
lii Ussie, Rex Jude ex domo David, qui & in
Genealogia Christi exstat Matib: 1, 9. dum
consternatus erat de conspiratione Syrorum &
Israelitarum, Deo ne diffideret, uti colligitur
ex 2. Chron: 20, 20.

5. Et norma seu forma, quod collocutus
sit dicendo. Ita nimirum Deus, ubi cessat
auxilium humanum solet inchoare suum, ut ti-
meant omnes homines. Et annuntient opus
Dei Ps: 74, 10. est enim ipse exaltatio tenui;
exaltatio temporibus in angustis. Ps: 9, 10.
Loquitur autem ipse Deus ut discamus, eas es-
se prophetias certas, quas Deus ipse publicat.

6. Et per signi alicujus petendi denunciati-
onem v. 11. In quo in genere mandatum
ipsum, quò petat Achazus. Quae verba sunt
Prophetae, ut nimirum, cum dubitaret, cogno-
sceret, non loqui ipsum hominem simpliciter,
sed Deum ipsum jubere quò petat.

7. Tum objectum, respectu materiae, ut
sic

signum petat: dum verbis non habebat fidem.
Ita, ne dubitemus, Deus quò confirmet, signa
sape offert; quò sperare non desinant, sed con-
firmantur.

8. Respectu causæ efficientis, à Jehova
qui locutus erat. Non enim à se propheta
peti signum postulat, sed à Deo. Et quidem
male, quod nec propheta, nec quisquam alius,
sed Dominus solus prestare potest. Qui & di-
citur Deus ejus de jure, quamvis de facto es-
set alienorum Deorum cultor, ut perstringere-
tur ipsius perfidia, qua à Deo suo, ad alienos
defecerat, & ostenderetur qui liberaturus ip-
sum foret ex manu Regum hostilium, uti inter-
pretatur Rabbi Kimchi.

9. In specie liberum relinquitur votum,
ut vel ex profundis petat, vel è terra; quem-
admodum & Chaldæus interpretatur, seu
ex abyssu, uti habet Rabbi Salamo; vel ex
rebus altissimis, id est è celo ut ostendatur
ibi signum, vel per solis stationem, uti habet
Galatinus lib. 7. c. 15. Et est utrobique Impe-
rativus sine conjunctione, uti etiam alibi Deut:
2, 31. Job. 32, 22.

10. Quoad Achazum: cujus habet recu-
sationem v. 12. In quo ejus declaratio,
quod dixerit Achazus, non petam.

Corr.

Constat enim, ex 2. Reg: 16, 2. & seqq.
quam profanus, impius & infidelis Rex fuerit;
quiq; maluerit externa auxilia, a Deo nimiope-
re prohibita, advocare in sui liberationem,
quam verbo Dei fidere habere, & huic soli se
liberandum fideli pectore committere. Sunt eo-
nim indignantis verba, quibus Achaz consili-
um prophetae recusat, & promissionem superi-
orem ludificatur.

II. Et ratio, quod non tentare velit Je-
hovam. Ita per hypocrisin prætexit verbum
Dei ex Deut: 6, 16. quia signum petere, a
Deo est tentare Deum. Et ita prætexitur,
cum incredulitas & impietas potius obstaret,
quam secundum AbenEzra, dicere voluerit:
scio quod non possit prestare id quod peterem
ab eo, uti & distinctio Burgensis in additione
I. ad hoc caput Esaie explanat. Quamvis
Rabbi Salamo dixerit, non potuisse quidem
negare Achazum potentiam Dei, sed noluisse
in Dei gloriam fieri miraculum, quia sic idola
ludificarentur, uti habet Lyra. Interim de-
buisset scire Achaz, non omnem petitionem ef-
se Dei tentationem, alias & Gideon peccasset,
qui bis a Deo signum petiit Jud: 6, 36. Sed
eam, quæ fit ex incredulitate: Debuisset etiam
cogitare, speciale mandatum Jehova jam dari,

quod generali derogat. Ita ergo humana ratio sepe refragatur Deo & pretextum causatur, licet convicta sit.

13. Et ejusdem vituperationem v. 13. In quo absolute quoad effectum, quod dixerit propheta. Dum enim signum voluit petere, ne frustra dixisse videatur, antecedentia ista subjicit, non enim statim ad impiorum exceptiones tacendum est, sed voluntas Dei etiam ipsis invitis, annuncianda est; non solum apud plebeios & viles, sed etiam apud magnates & potentes viri & fecit Nathan 2. Sam. 12, 7. si enim sunt Ambrosii, sunt etiam Theodosii.

14. Et quoad objectum ut audiat domus Davidis. Ex ejus enim stirpe ortus erat, & in ejus solio confidebat. Ignominie ergo causa, inquit Rabbi Kimchi non vocat Achazum nomine proprio, sed memorat Davidem, quia propter Davidem obtigerat ipsi regnum, & propter eundem Deus operabatur cum ipso miracula. Itaque utitur communi appellatione. Qui ergo ad regnum & domum Davidis pertinebant, domus Davidis appellabantur. Admonet igitur quantum a fide ac pietate Davidis ad quam perpetuo tanquam germani posterii, respicere debebant, degenerarint ac defecerint.

14. Com.

14. Comparatè quoad minus: an parva sit res fatigare homines, id est num parum vobis est, uti Chaldaeus habet, quod defatigatis prophetas & non creditis. Quamvis 70. intelligant per homines hostes cum quibus erat certandum. Musculus quidem He hoc loco demonstrativum accipit, sed obstat puncti dages carentia in mem litera sequente: Et quod usus talis literæ He alibi non reperiatur, At non semper He interrogationis, licet ordinarie chateph pathach habet. Presertim si sequatur scheva simplex, ium enim simplex pathach retinet. Quia scheva compositum nusquam ante scheva simplex precedit. Ideoq; si necesse in vocalem simplicem convertitur. Est verò interrogatio ex oppositione inter subditos Regni Davidis & inter Deum.

15. Quoad majus quod etiam fatigant Deum, ac si nolit aut non possit promissa efficere, dum iubenti contradicit. Addit verò Deum meum, quia uti antea dixit: Deum tuum, nunc propter incredulitatem Achazi vocat Deum suum. Quasi diceret: quod si non vis tuum esse, esto meus.

16. Partim voluntatis divinæ declaratio, tum propter Messia generationem v. 14. In quo in genere habet tum signum, quod

)(5

Do:

Dominus dat ipse. Ubi & præmittitur præcedentium conclusio. Dum dicit propterea: nempe quia nec creditis, nec signum ad confirmandam fidem de instanti liberatione petitis, licet Deus ultrò offerat, ut contineat etiologiam superioris reprehensionis. Et additur: Signum vobis dabo: Ad convicendam Achaizi & judæorum infidelitatem, quod & illius temporis fidelibus profuit, ut intelligant se non deletum iri ab hostibus, cum ex eis nasciturus esset Messias: idq; eam ob causam, ne Ecclesia Dei propter incredulitatem videatur destituta necessario consolamine & gratuita Messia futuri promissione, ob quem liberatio obtingit.

17. Tum modum: in quo præponitur particula Ecce, que est demonstrativa reuerentiam ostendens & attentionem perpetuam ab iis adhibendam docens.

18. Et exponitur, tum de matre quod sit virgo. Hanc enim vox alma denotat: Galatinus l. 3. c. 18, 7. c. 15. Flacius Junius parall: l. 1. p. 4. Lyra Burgensis in hoc l. De qua dicitur respectu conceptionis quod conceptura: Id quod miraculose factum, ob Eve prævaricationem, quia cum adhuc virgo esset à diabolo est decepta; sicut enim, inquit Tertullianus, in virginem adhuc Evam irre-

psit

fit verbum edificatorium maris; sic in virgine-
nem introducendum erat verbum exstructori-
um vite, 2. ob ortus nostri impuri sanctifi-
cationem; Hinc Athanasius inquit: eum o-
portuit sine peccato concipi, qui venit ut pec-
cata mundi tolleret. 3. Ob regenerationis nostrae
praefigurationem: uti enim Christus non ex co-
habitatione, sed ex cooperatione Spiritus San-
cti, ita nostra fit regeneratio.

19. Et respectu generationis, quod pari-
tura filium, unde patescit filium datum esse
pro mundo Job 3, 16. uti & Angelus Gabri-
el illud reperit Luc. 1, 13. Hinc & de isto in-
dubitato intelligendum, uti Matth: quoque hoc
ipsum allegavit cap. 1, 31.

20. Tum de nomine, quod vocandus fit
Immanuel. Non vero de nomine proprio, id
enim Jesus est, ut Lucas habet c. 2, 21. Sed
de re ipsa & veritate, hoc nomine comprehensa
intelligendum: uti & alias sepe nomina per-
sonis certis induuntur, cum res ipse istis nomi-
nibus indicentur Efsae 9, 6. Ezech: 48, 35.
Intelligitur vero quod sit Deus & homo, in
una indivisa persona, uti & Gabriel hoc mo-
net Luc. 2, 32. Innuitur hoc dulcissimo De-
nomine presentia efficacissima, qua adest non
tantum intercedendo & patiando, sed etiam
de.

defendendo. Nam nomen habet ab adverbio,
præpositione & nomine, quod fortem Deum
significat. Dicitur autem de matre, quod illa
sit vocatura, dum non habuit patrem homi-
nem, ut Galatinus 1. 3. c. 18. voluit: Et
quod 2. matres imponere solebant filiis nomi-
na, ut Rabbi Kimchi ostendit. Quamvis &
alii ad Ecclesiam referant & in tertia persona
vertant vocabit: ut sit contracta forma. Re-
ctius tamen de Mariâ intelligitur, cum de hoc
mysterio fuerit solide edocta, tum ab Angelo,
tum etiam à Spiritu S. licet non sola, ut Gala-
tinus voluit, veluti exempla Josephi Matth:
1, 21. Magorum 2, 2. Elisabethæ Luc: 1, 41.
Zachariae 68. 69. Pastorum c. 2, 10. Simeonis
v. 30. Hanne v. 38. ostendunt.

21. Tum propter ejusdem educationem
v. 15. In quo respectu corporis quod sit
commesturus butyrum & mel. Ut ostenda-
tur Messiae futuri & vera humanitas: nam ista
verba omnino ad Messiam esse referenda ex
relativo affixo colligitur, & allegoricè nativita-
tis locum, nempe Judæam intelligit, ubi mel
& lac dicitur fluere Exod. 3, 8. 17. Similis
est allusio de Nazaranis Es: 11, 1. Et vera
divinitas: butyrum enim ex lacte animalium
fit, & humanitatem convenienter designat;

Mel

Mel verò dulcedinē significat, & divinitatem de-
notat & per butyrum, dum sale conditur, lex in-
telligitur, per mel verè Evangelium innuitur.

22. Tum respectu mentis, removendo ut
sciat spernere malum: nam prefixum la-
med causaliter usurpatum innuit educationis
dexteritatem. Et ponendo, ut eligat bonum
uti id etiam attestatur Lucas 2, 40. Ejus e-
nim officium fuit malos reprobare, & bonos e-
ligere.

NOTÆ.

I. Perrexit Jehova dicere) Considera Deū
fidelitatem, dum nolumus credere verbis, ipsam
confirmare signis, ut discas Deo credere.

II. Numquid parum fatigare homines)
Considera hominum malitiam non tantum a-
lios aliis detrectare fidem, sed & ipsi Deo, ut
discas non tentare Deum.

III. Ecce virgo) Considera virginem pe-
perisse Messiam; ut discas si vis parere Chri-
stum, amare castitatem.

QUÆSTIO PHILOLOGICA ex Evangelio.

Quo respectu dicatur Mensis sextus?

Theophylactus in cap. 1. Lucæ asserit, u-
tī

ii & tota veneranda antiquitas numeratum esse mensem 6. a tempore quo conceptus fuit Johannes baptista quia, uti habet Lucas I. v. 24. Elisabeth sese occultaverat Menses 6. post conceptionem ut mense sequente 6. nempe 25. Martij Christus conceptus dicatur. Et quamvis sint varia opinionēs, tamen limites veterum non sunt movendi, praesertim ubi consensus majorum velificatur sententiis communibus. vid: Chronica de Natali Christi Thomae Lydiatis Angli ut & Helvigius in Chronologia sacra. II.

An Salutatio Angelica possit esse precatio?

Ita fingunt Pontificii, sed Angelus non vocat ipsam 1. benedicentem, sed benedictam 2. non adorat, sed salutat. Dicitur 3. non foris gratia sed gratia plena passiva $\kappa\epsilon\chi\alpha\pi\iota\omega\mu\epsilon\nu\eta$: denique, solus Gabriel ita debebat salutare non alij: unde Epiphanius inquit Heresi 78. Maria est virgo bene honorata, sed non ad adorandum data.

An $\kappa\epsilon\chi\alpha\pi\iota\omega\mu\epsilon\nu\eta$ sit gratia plena?

Multi quidem negant ita reddi posse; & propterea variant; sed si absq; affectu veritatem fateri, prout debemus, velimus, recte ita redditur. Quia i. vox Graeca ostendit, quae idem

quod gratiata barbarè, hoc est gratiam naçta :
quo modo autem sit gratiata, in antecedenti-
bus habetur, dum εὐλογημένη ἐν γυναιξίν
id est benedictissima mulierum, appellatur. So-
lent quippe ita Superlativum circumscribere
Hebraei, & qui eos sequuntur Græci Hom Il. α
δολομῆτα Θεῶν id est astutissimus Virgil,
sanctis Deorum id est sanctissimus. 2. Syrus,
quo sermone, qui vulgatus tum temporis for-
san salutarit, habet: Selam lechi maliath ta-
butha Pax tibi plena gratia. Quod uti Gui-
donianum Lexicum notat correspondet vocè
Rechimath, gratiosissima. Et quidni dicatur,
cum & de Stephano legatur Act: 6, 8. quod
plenus gratia? Authentica quidè non est Syriacà
in super tamè non habenda: & probatur exinde,
quod non nova translatio, sed quod vetustissima
sit talis. 3. Quia ita Lutherus du Holdseellige.
Non autè ista intelligenda activè ac si posset alius
gratiam largiri: Sed passivè quia & verbum
est passivum, quod habeat ipsa apud Deum gra-
tiam. quin ratio redditur quare, quia additur
Dominus tecum.

AD RESPONDENTEM.

Simplicis hanc stirpis, duplicis sed Christus
JESUS,
Amosides veluti numine plenus habet.

Prima coeva patri natura, sed altera matri:
Verus quippe Deus verus & ipse homo.
Non credis? Dominus Deus ille locutus Achazi
Ac signum quodq; quo crederet ipse dedit.
Non vulgare dedit: sed jussus tale rogare,
Quale vel infernus vel det Olympus ej.
At nullum voluit rex, verus hypocrita: dixit
Non tentabo Deum, signaq; nulla petam.
Ast indignatus Dominus justissimus: addit
Vos audite domus Jessiadaq; patres.
Anne parum vobis sociis vos esse molestos
Vestris? Num tales vultis & esse Deo?
Propterea dabit ipse Deus veracior omni
Oraculo, signum mirius ipse dabit.
Concipiet virgo: parietq; puerpera virgo
Natum: nomen & huic Emanuelis erit.
Is metas pinguis non abnuet ore butyri,
Mellis aroma loci debet & esse cibi.
Quò reprobare sciat mala: quo bona quaeq;
probare:
Hoc tibi pro signo, dixit id Iesus, erit.
Hoc Esaias docet: ac ALBERTUS id una.
Hic pergat! simplex justus & ipse erit.

Gueinzius

Instandsetzungsschein

ersten und letzten Lagen des Buchblocks
den in siedenden Bädern gereinigt und ge-
tigt. Mürbe und zerissene Teile des Papiers
den ausgebessert.

Bucheinband wurde originalgetreu wieder
gestellt.

ULB Halle

006 386 679





3

Gabriele Grauer

Halle, den 8.10.1970

Th. 4968





Farbkarte #13

B.I.G.



9

LICIARUM
OLICARUM
 STIVALIUM
citatio Nona,
 RÆSIDE
IANO GUEINZIO
 Gymnasii Hallensis
Respondente
NICO ALBERTO
 ensteinensi Misnico
 In
ANNUNTIATIONIS
MARIÆ
 . DC. XLIV.
 LIS-SAXONUM
Christophori Salfeldi.

